

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Iniuria k  
cum fonte primo

Quicquid a quolibet hominum passi fuerimus iniuste,

aut remissionem accipiemus omnium peccatorum,  
aut, si tanta in nobis delicta non fuerint,  
clarioribus honoremur coronis.

Crisostomus omelia IX. super Mattheum.

Quicquid a quolibet hominum passi fuerimus iniuste,  
aut remissione peccatorum Deus aut amplioris mercedis retributione compensat.  
Atque ut lucidius incipiat esse quod dicitur, rationem iuvemus exemplis.  
Ponamus enim aliquem servum multarum pecuniarum proprio esse domino debitorem,  
vim quoque perpeti ab iniquis hominibus hunc servum,  
et aliquanta eorum quae habebat amittere.  
Si igitur dominus valens coercere raptorem atque violentum,  
non quidem servo restituat erepta,  
sed tamen cuncta quae perdidit sibi illa computet reddidisse, putasne laesus est servus?  
Nequaquam. Quid vero si recipiat quoque plura quam perdidit,  
nonne etiam lucra damni occasione collegit?  
Quod certe ab omnibus absque ullo probatur ambiguo.  
Hoc igitur et in nobis cum iniuste aliquid patimur cogitemus,  
quia scilicet pro illatis nobis afflictionibus,  
aut remissionem accipiamus omnium peccatorum,  
aut, si tanta in nobis delicta non fuerint,  
clarioribus honoremur coronis.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homilia IX interpretatione Aniani*, 2  
(E. Bonfiglio ed., 2009, p.91, ll.66-79).